



**R.P. Valerii Reginaldi Bvrgvndi Seqvani E Societ: Iesv,  
Praxis Fori Poenitentialis**

Ad Directionem Confessarii, In Vsv Sacri sui muneris ...

**Regnault, Valère**

**Mogvntiæ, 1617**

Cap. 4. De prima specie Irregularitatis quæ est ex defectu animæ,

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78332](#)

## TITVLVS SECUNDVS.

*De Irregularitatibus ex defectu, aut ex facto  
sine delicto.*

**D**E his in communis prænotandum est: quod est ut plurimum spectet ad solum Papam in eis dispensare, tamen quando res est dubia Episcopi esse iudicare num defec-tus qui occurrit talis sit, ut inducat irregularitatem, ex Innocen. ad cap. 1. De corpore viatii. Dubium vero est, num in religionibus exemptis id ipsum iudicare possint religiosorum Prælati. Nauar. enim in Enchir. cap. 27. num. 200. Post Sylva verbo corpore, viatii quest. 1. negat posse. Angelus autem eodem verbo num 5. & Taberna mun. 3. affirmant posse: quod est quidem sat probable, cum per exemptionem ab Episcopo, Prælatus exemptus censeri possit habere in eo ius equalis Episcopali: Prior tamen sententia est tanquam tuitio in praxi sequenda.

## CAPUT IV.

*De prima specie irregularitatis, qua est ex  
defectu anime.*

## S V M M A R I V M.

- 34. *Triplex defectus anime, ex quo nascitur irregularitas.*
- 35. *Proueniens ex illius eratura.*
- 36. *Cuius literaturæ defectus constitutus irregularitatem.*
- 37. *Quomodo verum sit irregularitatem ex illiteraturæ inad-pensabilem esse.*
- 38. *Amens incapace est Ordine.*
- 39. *Quis amentiam incidit, postquam ad sanam mentem re-dit, irregularis manet, & quid agendum sit, ut valeat ad Ordine promoueri.*
- 40. *Delirium autem pueri proueniens ex vehementia febis, ce-sans hac cessante, non relinqui hominem irregularem.*
- 41. *Irregulares sunt furiosi lunatici epileptici: & sic Sacerdotes conuicti usque diu autur, quid agendum sit, ut cum iis, ut ad Missæ celebrazione admittantur.*
- 42. *Quid feruendum cum obnoxio vertiginis capituli vel animi deliquio.*
- 43. *Irregularitas d. monachorum.*
- 44. *Irregularitas Neophytorum.*

**D**E F E C T U S anime inducens irregularitatem triplex est, unus literaturæ, alter vsu rationis proueniens ex infirmitate corporis, ita redundante in animam, ut eam priu-episo vsu rationis, sicut accedit in furiosis, lunaticis, & comitali morbo laborantibus, ac in dæmoniacis. Tertius antiquitatis & firmitatis in fidem qualis defectus communiter est in Neophytis. Quibus in Enchir. cap. 27. num. 205. Nauarrius addit defectum in fide, tam in eo qui hanenondum recepit, ut in Iudeo, vel pagano: quam in eo qui receptam deseruit: ut in hæretico vel apostata. Sed cum impedimentum recipendi vel administrandi Ordines in eo qui fidem nondum recepit, sit de iure diuino, quo baptismus presupponitur in omnium aliorum sacramentorum receptione (ita ut ad hanc Ecclesiæ dispensare nequeat cum non baptizato) ipsum nequit censeri irregularitas, quæ inducitur tantum iure canonico, prout habitum est in cap. primo. Impedimentum vero in eo qui fidem deseruit, irregularitas est quidem, sed quæ merito ponatur in numero earum que nascuntur ex facto cum delicto.

*De prouenientia ex literaturæ defectu.*

## S E C T I O I.

**D**E irregularitate autem ex defectu literaturæ notandum est primo inducere à iure per cap. Illiteratos, distincte. 36. & per cap. ultimum. De temporibus ordinat. in 6. vbi illiterati ad clericalem tonsuram, atque adeo ad quemvis Ordinem promoueri prohibentur: ac per cap. ultimum, De

estate, & qualitate vbi propter illiteraturam Episcopus ab executione, & administratione officii amouetur.

Notandum est secundo, quenam ad singulos Ordines literaturæ requiratur, definitum esse in Concil. Trident. scilicet 23. De reformatione, vbi cap. 4. prohibent initiatu primatonsura qui fidei rudimenta edocet non fuerint, quicunque legere & scribere nesciant: & cap. 11. statuitur conferendos esse minores Ordines iis quis saltem Latinam lingua intellegant: & in cap. 13. vt Subdiaconi & Diaconi ordinentur in minoribus Ordinibus iam probati, ac literis & iis quæ ad Ordinem exercendum pertinent instruti: & cap. 14. vt ad presbyteratum assumantur qui ad populum docendum ea quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, atque ad sacramenta administranda, diligenter examine precedentes, indecomprobentur: & scilicet 22. cap. 2. vt qui ad Episcopatum assumendus est in viuenciate studiorum, magister siue doctor, aut licentiatus re sacra Theologia, vel iure canonico, merito sit promotus: aut publico alicuius Academiae testimonio idoneus alios docendos ostendatur.

Tertio notandum est: Concilium Trident. hoc definiendo non inducere irregularitates quæ nascantur ex defectibus illius doctrinæ, quam exigit utrumquemque Ordinem. Primo, quia nullus vitetur verbo prohibitus, nisi loquendo de primatonsura per quod insinuet se irregularitatem imponere ob talis doctrina defectum. Deinde si irregularares essent qui promouentur ad quemque Ordinem sine doctrina ad eum requisita per Concil. ipsum, pari ratione essent quicunque deficerent in aliquo ex iis quæ idem Concilium in iisdem locis ad Ordines similiter requirit, si que in infinitum multiplicarentur irregularitates, quod est incongruum.

Itaque defectus doctrinæ constitutus irregularitatem est solus ille, qui hec minima denominat illiteratum (quia de hoc tantum memorata iura expressam mentionem faciunt) atque adeo illiteratum penitus: ut ad cap. Illiteratos, dist. 36. glossa interpretatur. Quo nomine significari cum qui nunquam grammaticam audierit, deduci potest ex fin. De estate & qualitate vbi de quodam qui, quoniam illiteratus est, depositus fuit: dicitur quid nunquam de grammatica dicisset, nec Donatuum legisset. Adeo illi qui aliquo modo in literis versati sunt, etiam si non multum profecerint, r. o videantur illiterati censendi, sufficienter ad irregularitatem: praesertim quando in illis, quod imperfectum est scientia, supplet perfec-tio, haritatis, ex cap. Nisi cum pridem, De renunc. §. Pro defectu.

Quarto notandum est: cum talis est defectus doctrinæ in unoquoque Ordine, & officio: ut ordinatus non possit propter ignorantiam fungi suo munere: tunc & qui ordinatur & qui ordinat peccare mortaliter: atque si periculum sit de aliqua irreuerentia in vsu Ordinum, ut in celebratione Missæ, teneatur ordinatus ab illo abstinerre sub pena peccati mortalis: quia ratio naturalis dicta, divina esse reverenter, dignæque administranda.

Vnde intelligimus quatenus admittendum sit quod M. iolus habet in lib. 1. de irregular. cap. 32. nu. 13. defectum literaturæ indispensabilem esse. Id enim verū est habitus respectu ad Ordines eos, qui ut debite exercentur, doctrinam requirunt: quia enim impedimentum eorum exercendum in illiterato, est de iure naturali, Papa non potest super eo dispensare. Habito respectu vero ad eos Ordines quorum rectus vsus non habet necessariam doctrinam: sed sufficere potest quod quis cor recte legat: ut cum talis vsus non habet adiunctum onus docendi populus, aut conficiendi vel conferendi sacramenta (velut vsus minorum Ordinum) aut cum ante tempus vtcndi Ordinibus susceptis comparabit literatura sufficiens ad corum debitum vsum: tunc, quia in illiterato impedimentum exercendorum Ordinum est tantum irregularitas de genere impedimentorum Ecclesiasticorum, Papa potest super eo dispensare: sicut super certis Ecclesiasticis impedimentis: quamquam ex Nauar. in cit. num. 205. id non solet,

& merito.

*De irregular.*

De irregularitate proueniente ex carentia v/s rationis.

## SECTIO II.

**D**e irregularitate ex defectu v/s rationis quæ imponitur in cap. Infames, & quæst. i. notandum est primo, eos qui omnino carent v/s rationis, vt amentes, non tam esse irregulares, quam naturali, diuinioque iure ineptos ad Ordines iuxta antedicta tract. i. num. 30. Quia de causa merito monet Nauar. loco cit. verfu. 4. neque Papam posse cum talibus dispensare. Nam cum suscepit Ordinis sit actus quidam moralis, requirit ex sua natura liberum voluntatis consensum, qui sine deliberatione esse nequit; nec deliberatio sine v/s rationis, ita vt merito iudicetur contra naturam esse, viis qui omnino destitutur rationis v/s, ad Ordines promouatur: praesertim cum omne quod alienata mente agitur, sicut potius dignus sit quam Ecclesiastici Ordinis honor: argumento cap. Quamuis sit trist. 7. quæst. i.

Porro nemo qui amens aliquando fuit, statim atque ad se redire, liberatur impedimento recipiendi vel exercendi Ordines, quafi celsante causa cestet & effectus: sed manet irregularis, per cap. Maritum, distin. 33. vbi si qui aliquando in furiam verlus insaniuit, id est, furiosus, lunaticus aut epilepticus fuit, & à fortiori is qui plene amens fuit (etiam si promotus non deponatur, ex memorato cap. Quamuis) prohibetur promoueri. Ratioque esse potest, quod ordinarie illi qui sene mentes fuerunt, vix soleant sic conualeceret, quin interdum in eamdem amentiam recidant. Quocirca iuxta cap. Nuper, 7. quæst. 2. in fine, triginta diebus probandi sunt: atque per cap. Communiter, distin. 33. non ante permittuntur sacris altaris ministrare, quam vnius anni spacio per discretionem Episcopi inueniantur sanitatem mentis recuperasse. Ex quibus verbis aduerte colligi, cum annum esse numerandum ab illo tempore quo recuperata est integræ mentis sanitas; non autem ab eo quo cepta est recuperari. Quia vero tale negotium discretioni Episcopi commititur, dici potest cum D. Anton. 3. par. tit. 28. cap. 5. sub finem, & Rosella verbo, Vitis status corpore, atque T. sena verbo, Corpore vitatus sub finem: tempus talis probationis possum esse in arbitrio Episcopi: qui penitus sufficenter conditionibus morbi, & persona (& preferri iudicio medicorum habito, quod ita sit recuperata sanitas ut dubitari deinceps non debeat de relapsu) statuat num cito, aut tardius, debet admittere ad Ordines, aut ab eis excludere liberatum ab insanis.

Intelligenda autem sunt haec de eo, quini veram amentiam incidit ex Nauar. in Euchr. cap. 25. num. 72. nam si quis ob inaudientem febrini delirer, aut insanias, sublata febre, a celsante delirio, & insanias, nihil obstabit, quin possit statim promoueri; vt communem receptumque apud omnes vñum obtineat habeat Maiolus in lib. 2. De irregularitate cap. 15. num. 6. Vbi addit ipsum de quo agimus impedimentum amentis concurrere quoque posse is, quos stolidos, bards, aut hebetes vocant: argumento cap. Petrus, distin. 39. Licet interdum populus adeo sylvestris sit, vt crassioris ingenij, & hebetioris sensu hominem, propter dignorum penuriam & necessitatem, non sit indignum illi profici in sacramento: non administrati ne: praesertim cum stoliditas & hebetudo non pertincent ad priuationem v/s rationis, sed solum ad tarditatem, & obtusam conditionem mentis, ita vt aliquam docilitatem secum patiatur.

Notandum est secundo, præter veram amentiam dari certum defectum v/s rationis, que irregularitas inducitur: qualis est in furiosis, lunaticis, & epilepticis, seu caduco morbo laborantibus, qui irregulares constituantur per cap. Maritum, & cap. Communiter, distin. 33. De quibus plura Maiolus in citato lib. 2. c. 14. 15. 16. sed ad Confessarij institutione obseruare sufficer in talibus, si Sacerdotes sint, admittentur ad ministerium altaris, cum penitus convalescisse dicuntur, seruandum esse id ipsum quod secundum canones paulo ante de nente capitis indicatum est: neceps trigesita diebus faciendum esse periculum de recuperata sanitate, & à tempore penitus recuperatae sanitatis expectandum esse vñum annum (aut certe plus, vel mi-

nus, prout Episcopus arbitratus fuerit) antequam admittatur.

Addit seruandas esse quoque sequentes conditiones. Prima, vt valde raro, velut semel in mense, aut rarius corruptantur tali morbo, nam si sepius corripiuntur, admitti prohibentur expresse, cap. Iii literis, 7. quæst. 2. Secunda, vt ipsa correptione non sit valde vehemens, vt contingit cum el sine clamore, sine villa sputitia, sine magia, & horribili corporis agitatione: alioquin enim etiam si semel tantum in anno talis vehemens correptione continget aescui, is non esset ad Missæ celebrationem admittendus, ex ante memorato cap. Communiter. Tertia, vt ex ea celebratione nullum scandalum (proper quod illam prohiberi patet, ex cap. Vsque adeo, distin. 33.) oriarit: vt fere si duas precedentibus conditiones adiungit. Quarta, vt talibus celebrantibus adiungit aliis Sacerdos ieiunus, si ipsorum vice totum Missæ sacrificium perficere possit si forte contigerit eos inter celebrazione morbo corripi. Hac colligitur ex cap. Illud, & ex cap. Nihil, 7. quæst. 1.]

Ex quibus inferre licet quod Maiolus sub finem 16. cap. citati habet: eos qui patiuntur leues affectiones inducentes defectum v/s rationis, vt vertiginem, syncopem, deliquium animi, aut similes, non impediti à celebrationi Missæ, et si temere se illi ingerere non debeant, sed alium Sacerdotem habere, qui mysteria, si oporteat, vice ipsorum perficere possit. Immo nec impediti à susceptione Ordinum, nisi Medicorum iudicio talis esset vertigo quæ morbi caduci prænuntia, ipsum immixtum significaret; aut certe nisi simul magna esset, & fatis frequenter contingere: vt amplius, quam quater in anno: quo casu susceptioni obstat periculum imminens scandali populi, & irreuerentiaz Sacramenti.

## De ea Irregularitate qua demoniaci, &amp; ea qua Neophyti ab Ordine reiciuntur.

**T**ertio notandum est: Daemoniacos expresse definiri irregulares in cap. Communiter, distin. 33. Quamuis autem de promotis tantummodo loqui videatur, prohibendo ne audeant sacris altaris ministrare, vel temere sacramenta diuinis le ingerere: tamen quia (vt habet propositione recepta) Quidquid dejectum, multo magis impedit promouendum: intelligi debet etiam de promouendis: praesertim cum demoniaci ipsi ex cap. Clerici, ead. distin. non modo iij qui adhuc sunt vexationibus demonis obnoxij, sed etiam effeta ab eis omnino liberi, ad lacros Ordines promoueri non possint, etiam si possint ad minoris: vt deduci potest ex eiusdem capituli verbis illis: Si ad superiori sacri regiminis gradum ascendere non possint] quæ quidem tantum indicant prohibitionem susceptionis Ordinis maioris. Porro eos qui iam initiati sacris Ordinibus vexantur à dæmonibus, non esse admittendos ad altaris ministerium quoq; vñius anni spatii per discretionem Episcopi inueniantur ab ea vexatione liberati, expresse habetur ex citato cap. Communiter. Aduerte vero per synodus sextam generalem Constantinop. can. 60. eos qui se demoniacos esse simulant, etiam si non sint, perinde subiici irregularitat, ac eos quia à dæmons vere correpti sunt.

De Neophyti demum, scilicet Saracenis, Iudeis, aut Paganis recenter conuersis, aut baptizatis recenter (id est nondum expletis decem annis in vera fide post suscepū baptismum, ex Nauar. cap. 27. nu. 205. argumento cap. Eam te, D. rescriptus) quod irregulares sint, constat ex illis verbis D. Pauli prioris ad Timoth. cap. 3. non Neophyti: & ex distin. 48. cap. 1. & 2. Cuius irregularitatis causam adferat ibidem Apostolus, nec in superbiā elatus incidat in laqueum diaboli. Altera causa in cit. cap. 1. insinuat, quod alios docere nesciat, qui ipse non didicit. Addit quod habetur in cap. Misericordum, distin. 61. misericordum sit eum fieri magistrum, qui nunquam fuit discipulus: cumque sumimum Sacerdotem fieri, qui in nullo gradu vñquam obsecutus est.

Quamquam ramen in Neophyto nonnunquam tanta apparet charitas, humilitas, & crudito in ijs quae ad finem pertinent, vt sine dilatione longa possit, immo debeat cum ipso dispensari, si id necessitas Ecclesia exigere videatur

ut exemplis beatorum Nicolai, Seueri, & Ambrosii docetur eadem distin. 61. cap. Statutus, Quod & in sequenti cap. confirmatur his D. Ambrosii verbis, Neophytus prohibetur ordinari ne extollatur in superbiam: sed si non deficit humilitas competens sacerdotio, ubi causa non adharet, virtus non imputatur. Vide Couarr. ad Clemen. Si furiosus, 1. par. §. 2. num. 7. & 8. In istiusmodi autem irregularitate ut & in precedentibus prouenientibus ex anima defectibus, solus Papa dispensare potest, prout Nauar. sub finem citati num. 205. expressit. Nec enim sunt de numero earum, quaram dispensatio est a iure Episcopis concessa, de quibus dictum est in preced. cap. 3. sect. 4.

## C A P V T V.

*De secunda specie Irregularitatis, que est ex defectu corporis.*

## S U M M A R I U M.

- 44 Ratio generalis iudicandi de irregularitate ex defectu corporis.
- 45 Tali defectus vel est membra, vel morbi corporis, de cuius sufficientia ad irregularitatem iudicari: re est Episcopi.
- 46 Observanda in genere de membris defectu inducente irregularitatem.
- 47 De eo qui sua culpa patitur eiusmodi defectum.
- 48 De eo qui in eum inedit post suceptum Ordinem.
- 49 Defectus inducentes irregularitatem ex parte capillorum, aut oculorum.
- 50 Ex parte aurium, auricularium, aut nasi.
- 51 Ex parte laborium, aut dentium, aut lingua, aut faciei.
- 52 Ex parte dorso, aut pectoris, aut genitalium.
- 53 Ex parte manuum, quatenus defectus inducat irregularitatem.
- 54 Quando claudicat o inducat irregularitatem.
- 55 Morbus inducens irregularitatem & specialiter de lepra.
- 56 De foia & lutea Venerea.
- 57 De hibisci podagria, chiragra, & quibuslibet febribus & doloribus capitis.
- 58 De paralysi, horrore bibendi ruminis, & languore stomachi.
- 59 Duo circa istiusmodi irregularitates obseruatione digna.

**D**E hac per cap. penult. & ultimum, De corporibus viatis, & per cap. 2. De Clerico agrotante, statu potest generalis propositio quam habent D. Anton. 3. par. tit. 28. initio quinti capituli, atque alii quorum Couar. meminit. ad Cl. ment. Si furiosus 1. par. initio cap. 5. quamque ex Panormit. ad praecitatum cap. 2. num. 2. refert. Nauar. in Enchir. cap. 27. num. 200. Eum corporis defectum inducere irregularitatem, cui coniuncta est inhabilitas ad officium Ordinis exercendum, vel deformitas notabilis, quo populo scandalum, aut horrorem inducat.

Adverte autem ex eodem Panormit. in sequen. num. 4. defectum corporis irregularem facere tantummodo quoad officium illud Ordinis, ad quod exercendum reddit incepsum: sicut enim defectus duorum digitorum cum medietate palme impedit quidem Sacerdotem ne Missam celebrare possit, non item ne alla officia Sacerdotalia exercere, ut consilium audire: per ex parte summa textum in memorato cap. 2. Quod ex eodem, Nauarri loco citato addens: ita restinguendum putas, vt id verum sit, quando quod tales defectum non incurrit sponte, aut sua culpa. Item quoad iam ordinatos, & non quoad ordinandos. Cui facit quod idem capitulum 2. quo Panormit. inititur, aperte loquatur de Sacerdote qui sine sua culpa, & postquam ad sacerdotium promovitus fuerat, in defectum memoratum incurriterat. Fauerit etiam ratio; quia in eo qui sponte aut culpa sua defectum patitur, cessat excusatio: neque Ordinis collatio sit ad unum officium ipsius, & non ad alterum: adeo vt ille qui ob impedimentum exercendi aliquod officium Ordinis ab eius susceptione arceret, simpliciter arceri censeatur.

Ceterum omnis eiusmodi corporis defectus, quo irregularitas inducitur, vel est defectus alicuius membra, id est,

partis humani corporis officium per se distinctum habentis, prout explicat Nauar. in sequenti num. 206. vel est aliqui corporalismorbus: de quo cum dubitatur si metus qui Ordinis executionem impedit aut scandalum gignat, Episcopi est determinare: vt omnes qui hac de re tractant sentirentur ad Conar. ad Clemen. Si furiosus, par. 1. initio, num. 5. & confirmatur ex cap. 2. de corpore vitiatu, vbi Pontifex quod de macula in oculo obiciiebatur cuidam tanquam de impedimento obtinendi Episcopatum, iudicium relinquat Archiepiscopo ferendum cum concilio suorum suffragaeorum.

Nota vero ex D. Anton. 3. par. tit. 28. cap. 5. in tali determinatione consilium Episcoporum ita necessarium est, vt si ipsum non adhibeat, illa nullus momenti sit: cum non fiat secundum summi Pontificis praeceptum. Quamquam si adhibito consilio, Archiepiscopus se usquam id ipsum consilium iudicet atque determinet, non quidem ex sola animali libidine, sed quia id iustum sibi videtur (quandoquidem ad illius tantum instructionem consilium exigitur) existimat Panormitanus ad citatum cap. 2. De corpore vitiatu, talem determinationem esse validam: ita determinatus irregularis debet pro dispensatione recurrere ad papam, qui solus cam dare potest super irregularitatem ex defectu corporis; vt Nauar. cap. 27. num. 200. docet. Determinatus vero non irregularis possit sine dispensatione promoueri. Quod idem iudicandum videtur de determinatione Episcopi non admittentis vel non sequentis consilium eorum quin talis difficultate vices suffraganeorum supplere possunt: nisi communis patria conductudo praecepta aut speciale priuilegium aliud fera.

*De Irregularitate ex defectu membra vniuersitate.*

## S E C T I O I.

**A**Tque de membris defectu inducente irregularitatem hec in genere obseruanda occurrit. Primum est: cum non tantum confitere in mutilatione qua quis priuat membro, vt ille cui abscessum est manus, vel effusus oculus: sed etiam de debilitatione, qua qui habet quidem membrum integrum, sed inefficax & inutile: vt is qui manum habet aridam, vel oculum orbatum visu. Ratio in promptu est quoniam ex ea debilitatione perinde sequi potest inhabilitas ad exercendum officium Ordinis atque ex abscessione.

Secundum est: De defectum membra necessarii ad executionem Ordinis, vel qui habet coniunctionem deformitatem notabilem, inducere irregularitatem: tam in eo qui sine sua culpa, quam in eo qui cum sua culpa cum contraria, iuxta cap. 2. De Clerico agrotante: atque adeo totum titulum de corpore vitiatu. Et ratio est: quod tales defectum non proueniare ex propria culpa, non obstat quin vere sit impedimentum exercendi Ordinis.

Tertium est: Defectum membra, quod nec est necessarium ad executionem Ordinis, nec annexum habet notabile deformitatem, non reddere irregulararem eum, cui sine propria culpa contingit: vt censetur contigisse ei qui vacans relicita, casu sibi ipse, aut chirurgus propter valetudinem, aut alias absque propria sua culpa, tale membrum abscedit. Itud constat ex cap. Qui partem, & aliquot sequentibus, distinct. 55. Ex cuius capituli glossa prima addit, tandem est rationem si quis prae cinderet sibi digitum superfluum aut aliam partem superfluum, ac si prae cinderet sibi vngues, aut dentes nimis longos: dummodo, vt monet Angelus verbo *Corpore vitiatu* num. 1. talis praeceps fieri possit sine deformitate corporis.

Quartum est: defectum membra, irregularem efficere eum cui cum peccato contingit, ex cap. Maritum, distinct. 33. vbi statuitur non promouendus sis, qui semetipsum abscondens, aliquod membrum indignatione, vel timore sue iusto sive iniusto superer truncauerit. Quod intellige, ex Couar. ad Clemen. Si furiosus 1. parte initio, num. 5. in fine, etiam si membrum sit occultum, nec suo defectu inducat notabilem deformitatem, nec etiam necessarium sit ad executionem Ordinis: vt pudenda de quibus est textus expressus distinct. 55. cap. Si quis abscederit, & cap. Si qui. Etiam si item non a se ipso sed ab alio mutilatus sit sua culpa: nempe quia iustit.